In nomine domini amen. Omnia facta mortalium temporale
motum sequuntur et pendentibus conditionibus ipsorum simul facta intereunt. Ideo necesse
est, ut que sua natura tendunt ad interitum, adminiculo litterarum fulciantur, et
ab oblivionis interitu defendantur. Hinc est quod nos Otto et Conradus dei gratia
marchiones Brandenburgenses, recognoscimus presentibus publice profitentes, volentes
pervenire ad notitiam futurorum, quod ob fidelissima servitia nobis et nostris predecess-
oribus expressime exhibita per fideles nostros cives civitatis Budissin, confirmamus
iura ipsorum, que etiam coram nobis sufficienter et certissime sunt probata,
iura videlicet quecumque, sicut violentie, offensiones, lesiones, vulnera, homicidia,
furta, rapina, per aliquos nostros vasallos in civitate Budissin, vel extra
muros civitatis dicte, vid. intra metas aut terminos civitatis eiusdem, qui
vulgariter flurine vocantur, damus et conferimus rite et rationabiliter, omnes
predictos excessus emergendos conditionibus fuerint, in predicta civitate, perpetuis
temporibus iudicandos, ne autem huiusmodi confirmatio seu donatio in posterum irritari
possit vel impediri, hanc litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine
roborari. Datum et actum Budissin, coram dominis Luthero de Paloniz, Thi.
de Panewiz, Conr. et Dithmaro de Borch, Ulr. et Gotfrido de Gnir, Eve,
Gorio et Nicolao de Kopericz, Kungeshove de Temeriz, Bachmanno et Nico-
lao de Carsdorf, militibus, Dithmaro de Bischofswerde et filio suo Hinr.
Flemingo, Schichtingo, Jo. Rufo, Herdano, Boltzmanno, Conr. de
Lutavia, Gerenhero Gelucke civibus, sub advocato nostro Heynemanno de
Wartenberg et Henrico Scultheto hereditario Budissin, et aliis quam pluribus
fidedignis. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo
in die Margarethe virginis gloriose.